Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35993
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Propositio Thomæ de Hasolbach suscipiendo Dominum Dominicum Torcellanum Episcopum Apostolicæ Sedis cum auctoritate Legati a Latere venientem Legatum 1463. in die Mauricii. In Cœnaculo Fratrum Prædicatorum.

Multorum rumores vulgantium insonuerunt jam elapsis diebus auribus plurium ex nobis super Reverendissimæ Paternitatis accessu ad has paternas oras, proh dolor jam omnes quoque in omnibus suis angulis latere, et amplius quam Pharaonis jugo omnifariam oppressisse, ferro et igne demolire. Audivit et hoc jocundius mater nostra Studii Viennensis Universitas omnium Universitatum Alemaniæ de gratia Sanctæ Sedis Apostolicæ prima tempore, et nulli secunda Dei dono etiam Magistrorum copiosa multitudine atq; Suppositorum solita /: solida :/ peritia et famæ celebritate, ac intellexit Vestræ Rdssæ Paternitatis salutationem ut angeli pacis adventum audivit, et exultavit spiritus ejus in Domino cupiens æstuanti desiderio cum eadem, ea quæ pacis et unitatis sunt familiarem collocutionem miscere sermonem, et flamma, quæ sui pectoris intima exurebat etiam ad nutum exponere, et quia hostilitatum incomoda et viarum discrimina usque modo cœgerunt sistere gradum, et his dedere obstaculum. Nunc cessante impedimento et nacta opportunitate de Universitatis mandato speciali, ut devoti veniamus ad Patrem filii, offerentes præfatæ Universitatis nomine super felici vestro Paternitatis adventu illud verbum Apostolicum: Deus autem spei replebit vos omni gaudio et pace. ad Rom 15.to Scriptum. Rdssme in Christo, et Domine generose ac præsulum dignissime, si altius mentis oculos erga infallibile Dei providentiam attollimus protinus continemur, licet omnipotens Deus sit omnium Alepha et principium et finis, Apocalypsis 1.mo non tamen ab re, sicut specialiter Deus patientia et solatium dicitur, ita et Deus spei non inepte ab Apostolo singulariter predicatur.